



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

CCCCIV. Arnold Obbelen, Verdenscher Generalvicar, genehmigt nachträglich die Stiftung einer Commende in der Katharinenkirche zu Salzwedel, am 3. Juni 1467.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

et quodcumque premissa uel premissorum aliquod fecerint uel ab aliis fieri procurauerint, de omnipotentis dei misericordia et beate Marie virginis, sancteque Cecilie, necnon beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi, Quadraginta dies Indulgentiarum et unam karenam de iniunctis sibi penitentiis in domino misericorditer relaxamus. Eciam ut per celebrantem missam de Corpore cristi gloriosissimum sacramentum Eucharistie in piscide clausa cum sollempnitate, prout fieri consueuerit, portari possit et in altari stare missa durante permitti et missa finita deferri et in locum suum reponi possit et valeat concedimus facultatem per presentes. Et ut dicta fraternitas in cultu magis augeatur diuino pro nobis et Successoribus nostris damus et graciose impertimur eidem fraternitati Sigillum oblongum, in quo sculpta sit quedam monstrancia, in cuius medio quedam figura hostie apparet et in eius Circumferencia hec uerba: S. fraternitatis Corporis cristi Noue Ciuitatis soltwedel etc. Pariformiter damus — dicte ecclesie sacerdotibus Sigillum oblongum, in quo sculpta sit Imago sacerdotis stantis in Cimborio ad missam preparati cum calice in manu et in Circumferencia hec uerba: S. Sacerdotum Noui opidi Soltwedel etc. In cuius euidentis testimonium Sigillum nostrum maius presentibus est appensum. Anno domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, die uero Mercurii, decima quinta mensis aprilis.

Ad dicti domini Episcopi Verdenfis mandatum Johannes oldewaghen
Notarius subscripsit.

Nach dem Originale des Salzwo. Archives XIII, 21.

CCCCIV. Arnold Obbelen, Verdenfcher Generalvicar, genehmigt nachträglich die Stiftung einer
Commende in der Katharinenkirche zu Salzwedel, am 3. Juni 1467.

Arnoldus Obbelen, Reuerendi in cristo patris et domini domini Johannis Episcopi verdenfis vicarius in Spiritualibus eiusque curie officialis generalis, Vniuersis et singulis presentia lecturis, uisuris et auditoris, Salutem in domino sempiternam. Cum a nobis petitur quod Iustum est et honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut per sollicitudinem nostram diligentem ad effectum debitum deducatur. Dudum siquidem prouidus dominus Jacobus rambow, presbiter, in ecclesia beate katherine virginis ac martiris noui opidi soltwedell verdenfis dyocesis commende infrascripte commendista, in nostra presentia constitutus nobis significare curauit, quod pie memorie dominus Johannes szeluelde, olim dum uixit eciam presbiter dyocesis antedicte, de suis bonis a deo sibi collatis ac industriosè acquisitis in sua vltima uoluntate commendam quandam in ecclesia beate katherine antedicte pro sue et suorum remedio animarum instaurauit ac per suos fidei commissarios ac testamentarios erigi et fundari uoluit et mandauit, prout hec eadem commenda per premissos suos testamentarios ad debitum effectum, consensu rectoris dicte parrochialis ecclesie tunc temporis in humanis agentis interueniente, est deducta et fundata. Vnde predictus dominus Jacobus, cupiens transitoria in eterna et eterna in celestia feliciter commutare, Timens predicta bona, quibus predicta commenda fuit dotata, ad usus posse redire prophanos, nobis humiliter supplicauit, quatenus eandem commendam in quantum in nobis esset et nostrum concerneret officium cum singulis suis dote, attinentijs, circumstantijs, articulis et conditionibus, lu-

cidius in quadam litera foundationis dicte commende per circumspectos viros proconsules et con-
 sules noui opidi soltwedell antedictae dyocesis sigillo eiusdem opidi sigillata specificatis, ob hono-
 rem omnipotentis dei et diuini cultus augmentum in perpetuam vicariam transferre et commutare
 ipsamque vicariam approbare, ratificare et confirmare fauorabiliter dignemur. Nos igitur piis
 votis dicti Jacobi annuentes, dictam commendam cum singulis suis dote, atinentiis, circumstantiis,
 articulis et conditionibus, lucidius in premissa litera foundationis quam huic nostre literae confirma-
 tionis nostro sigillo appenso consignamus specificatis, omnibus modo et forma in eadem litera ex-
 presse in perpetuam vicariam ad altare nouum in antiqua parte predictae ecclesiae sancte katherine
 constructum, in honorem Sanctae crucis sanctorum Jacobi apostoli maioris, decem milium martirum
 cosme et damiani et sanctorum brigitte et vndecim milium virginum, consensu nostro et domini Jo-
 hannis Cowelitzen, prout nunc rectoris dicte parrochialis ecclesiae sancte katherine, interueniente,
 consecrandum, per presentes transponimus et commutamus; Approbamus, ratificamus et in nomine
 domini ordinaria auctoritate perpetuis temporibus duraturam in hijs scriptis confirmamus. Cuius
 quidem vicarie possessionem per presentes nostras literas predicto domino Jacobo rambo
 quoad uixerit nulla alia sollempnitate Juris precedente. Ac etiam post presentandi ad eandem vica-
 riam personam idoneam quotiens vacauerit proconsulibus et consulibus noui opidi soltwedell
 antedictae verdenensis dyocesis perpetuis temporibus duraturam reseruamus. Beneficiatum quoque
 eiusdem beneficii seu vicarie pro tempore quoad onera ecclesiastica ad quatuor pecias decernimus
 obligatum. Et ne semel deo dicata ad vsus redeant prophanos uel alio quouismodo distrabantur,
 omnibus et singulis tam presentibus quam futuris, quorum interest uel interesse poterit, in virtute
 sancte obediencie et sub excommunicationis sententie pena, quam in eos et quemlibet eorum, trium
 tamen dierum canonica monitione premissa, in dei nomine ferimus in hijs scriptis, si non fecerint,
 que precipimus, discrete precipiendo mandamus, ne dictam vicariam per nos ut premittitur appro-
 batam et auctoritate ordinaria confirmatam in aliquo impediunt ac bona in dotem ipsius assignata,
 apropiata et confirmata et ecclesiastica libertate eo modo supposita quouismodo vsurpent, distrabant
 uel ab eodem beneficio alienent, si dictas nostras excommunicationis sententias in eos et quem-
 libet eorum latas et diuinam velint ulcionem evitare. In cuius rei testimonium sigillum officialatus
 nostri huic nostre literae confirmationis et literae foundationis predictae commende configillatis ex certa
 nostra sciencia est appensum. Datum et actum in antiquo opido soltwedell verdenensis dyocesis
 in domo prouidi hanfz fzehorst, Anno incarnationis domini millesimo quadringentesimo sexage-
 simo septimo, die vero mercurii, tertia mensis Junii, hora vesperorum uel quasi, Indictione quinta
 decima, Pontificatus Sanctissimi in christo patris et domini nostri domini pauli, diuina prouidencia
 pape secundi anno tercio.

Nach dem Originale im Stadt-Archive zu Solzwedel, Fach 32, No. 37.